

1502. le Ravennam sunt missi, ut cum iis copiis, quæ ibi erant, conjuncti, oppidi præsidium augerent, si quid a Cæsare consiliit, cui fides haberi nulla poterat, contra rempublicam iniaretur. Neque multo post Anna Candala, natione Aquitana, Aloisi regis Gallorum propinqua, ad Udaldislaum Pannoniæ regem, cui erat nuptui per legatos tradita, proficisciens Venetias venit cum magno utriusque regis comitatu. Ei fines reipublicæ ingressæ, sumptus est publice atque largiter factus. Ad urbem ubi fuit, omnia in illam liberalitatis & benvolentia officia profuse collata, ut cum exacto mense discederet, Laureano Principi dixerit, *tum primum se reginam sibi ipsi visam, cum apud illum fuit*: postea vero quam in Pannonia regiam exercere dignitatem cœpit, amica & benivola reipublicæ omnibus in rebus semper fuerit. Interim Aloisius rex domo discesserat, ut in Italiam se conferret, Neapolitano bello, quod cum Hispaniæ regibus propter finium controversiam gerebat, auxilia comparaturus. Eo Mediolani finibus appropinquante, Senatus Bernardum Bembum patrem meum e prætura Veronensi, qua in prætura tunc erat, legatum misit, ut Aloisio reipublicæ nomine salvere jusso de adventu gratularetur. Is regi ad Vegevenum oppidum occurrit, esseque apud illum commoratus, dum is Mediolani fuit: sed rege in Liguriam profecto ad auxilia in regnum Neapolitanum mari transmittenda, Veronam rediit.

Dum hæc domi administrantur, a Pisauro apud Chrysopolim, atque in sinu Thessalonico depositis militibus damna sunt plurima illata, prædæque ingentes factæ: tum in Aegæo captæ naves onerariæ duodecim, biremes undecim. atque is ad Maleam cum venisset, naves triremes Rhodiorum tres, onerarias duas, regis Gallorum triremes quatuor ad se missas reperit. Neque multo post Jacobus Pisaurus Alexandri legatus suas triremes cum Pisauri classe conjunxit. Erat autem universæ classis navium omnis generis numerus ad septuaginta: quibus cum navibus de legatorum consilio ad insulam Leucadiam oppugnandam se convertit. Eo cum appropinquaret, Pontificis legatum

*Anne Pan-  
nonum re-  
ginae Vene-  
tias adven-  
tus.*

*Leucadiam  
Venetiis op-  
pugnatur.*

præ-